BIBLIA VETERIS TESTAMENTI

Klosterneuburg, um 1310/1315

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



pes et dabo in manu inimicorum suorum et in manu quorum
animarum eorum et in manu exercituum regis babylonis
qui recesserunt a uobis. Ecce ego precipio dicit dominus et reducam eos in ciuitatem hanc et pugnabunt aduersus eam et capient eam et succendent eam igni et ciuitates iuda dabo in solitudinem eo quod non sit habitator.

XXXV

Verbum quod factum est ad hieremiam a domino in diebus ioachim filii iosie regis iuda dicens. Vade ad domum rechabitarum et loqueris eis et induces eos in domum domini in unam exedram et dabis eis bibere uinum. Et assumpsi iechoniam filium hiremie filii habasinie et fratres eius et omnes filios eius et uniuersam domum rechabitarum et induxi eos in domum domini ad gazophilacium filiorum hanan filii hezedie hominis dei qui erat iuxta gazophilacium principum super thaanim maasie filii sallum custodis uestibuli. Et posui coram filiis domus rechabitarum scyphos et calices plenos uino et dixi ad eos. Bibite uinum. Et responderunt. Non bibemus uinum quia ionadab filius rechab pater noster precepit nobis dicens. Non bibetis uinum uos et filii uestri usque in sempiternum et domum non edificabitis et semen non seretis et uineas non plantabitis nec habebitis. sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus uitae uestrae ut uiuatis diebus multis super faciem terre in qua uos peregrinamini. Obediuimus igitur uoci ionadab filii rechab patris nostri in omnibus quae precepit nobis ita ut non bibamus uinum cunctis diebus nostris nos et mulieres nostre filii et filie nostre et non edificaremus domos ad habitandum et uineam et agrum et semen non habemus sed habitauimus in tabernaculis obedientes et fecimus iuxta omnia quae precepit nobis ionadab pater noster. Cum autem ascendisset nabuchodonosor rex babylonis adterram hanc diximus. Venite ingrediamur in ciuitatem hierusalem a facie exercitus chaldeorum et a facie exercitus regis syrie. Et mansimus in hierusalem. Et factum est uerbum domini ad hieremiam dicens. Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Vade et dic uiris iuda et habitatoribus hierusalem. Nonne suscipietis disciplinam ut obediatis uerbis meis dicit dominus. Qualiter fecerunt sermones ionadab filii rechab quos preceperat filiis suis ut non biberent uinum et non biberint usque in diem hanc quia obedierunt precepto patris sui. Ego autem locutus sum ad uos diluculo mane assurgens et loquens et non obedistis mihi. Misit quoque ad uos omnes seruos meos prophetas assurgens diluculo mittens quoque et dicens. Reuertimini unusquisque a uia sua pessima et bona facite studiosi et nolite sequi deos alienos ut colatis eos et habitabitis in terra quam dedi uobis et patribus uestris et non inclinastis aures uestras nec audistis me. Firmauerunt igitur filii ionadab filii rechab preceptum patris sui quod preceperat eis pater suus et non obediuit mihi. Idcirco hec dicit dominus deus exercituum deus israhel. Ecce ego adducam super iudam et super omnes habitatores hierusalem uniuersam afflictionem quam locutus sum aduersum illos eo quod locutus sum ad illos et non audierint. Uocaui illos et non responderunt mihi. Domui autem rechabitarum dixit hieremias. Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Eo quod obedistis precepto ionadab patris uestri et custodistis omnia mandata eius et fecistis uniuersa quae precepit uobis. propterea hec dicit dominus exercituum deus israhel. Non deficiet uir de stirpe ionadab filii rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.

XXXVI

Et factum est in anno quinto ioachim filii iosie regis iuda factum est uerbum hoc ad hieremiam a domino dicens. Tolle uolumen libri et scribes in eo omnia uerba quae locutus sum tibi ad israhel et ad iuda et ad uniuersas gentes a die qua locutus sum ad te ex diebus iosie usque ad diem hanc si forte audiant domus iuda uniuersa mala quae ego cogito facere eis reuertatur unusquisque a uia sua pessima et propitiabor iniquitati et peccato eorum. Vocauit igitur hieremias baruch filium nerie et scripsit baruch ex ore hieremie omnes sermones domini quos locutus est ad eum in uolumine libri. Et precepit hieremias baruch dicens. Ecce ego clausus sum nec ualeo ingredi domum domini. Ingredere igitur tu et legere de uolumine in quo scripsisti ex ore meo uerba domini audiente populo in domo domini die ie